

ORATIO

DE

ANTIQUA ELOQUENTIA CUM RECENTIORE COMPARATA,


QUAM HABUIT

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE,

A. D. XXVI JAN. ANNI MDCCCIV,

QUUM IN ACADEMIA TRAJECTINA
HISTORIAE, ANTIQUITATIS, ELOQUENTIAE
ET LINGUAE GRAECAE PROFESSIONEM
AUSPICABATUR.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD O. J. VAN PADDENBURG,
ET GUIL. VAN YZERWORST,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCV.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

URBIS TRAJECTINAE

R E C T O R I B U S

E T

A C A D E M I A E

C U R A T O R I B U S

VIRIS AMPLISSIMIS

S.

„ Antiquitas eam meretur reverentiam, ut ho-
„ mines aliquamdiu gradum ſiſtere, et ſupra eam
„ ſtare debeant, atque undequaque circumſpicere,
„ quae ſit via optima. Quum autem de via bene
„ conſtiterit, tunc demum non reſtitandum, ſed
„ alacriter progrediendum."

Baco Verulamius,

De dignitate et augmentis ſcientiarum.

L. I. p. 20.

AD

VIRUM CLARISSIMUM

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE,

J. U. D.

ELOQUENTIAM ANTIQUAM

CUM RECENTIORE

COMPARANTEM.

Eloquio prisci dum comparat Heusdius aevi
Eloquium, nostro tempore quale placet,
Ipſe ſuo exemplo docuit, quo tramite eundum,
Doctus ab Antiquis, quo decet ore loqui.

TOUS. WOORDHOUDER.

AD

VIRUM CLARISSIMUM

PHIL. GUIL. VAN HEUSDE,

QUUM

VETERUM AC RECENTIORUM

ELOQUENTIAM

ELEGANTISSIMA ORATIONE

INTER SE

COMPARASSET.

Qualis ab Antiqui, qualisqne Recentior aetas
  Quem tulit, auctoris gratia ab ore fluat,
Heusdius inquirens, cujus sit caussa tuenda,
  Ingenii summâ fertilitate probat.
Hujus et illius meritis favet arbiter aequus,
  Discrimenque sagax inter utrumque notat.
Maxima sit priscis data sic victoria; sed, ni
  Tam bene dixisset, grandior illa foret.
Nam Veteres quod nos superarent flumine linguae,
  Heusdius eloquio destruit ipse suo.

HIERONYMUS DE BOSCH.

HEUS-

HEUSDIO SUO.

Eloquium Antiquis dederat natura diſertis,
At ars Recentioribus;
Te, quem facundum naturâ atque arte videmus,
Priscum putemus an novum?

Jo. Ad. Nodell.

A D



Orationis hujus quod olim fuit conscribendae, idem nunc est edendae consilium. Totum hoc spectat literarum et historiae et humanioris omnino doctrinae in hac Academiâ studiosos. Antecedente anno ita tradere historiam gentium studui, ut aditum praeberet ad civilem prudentiam: artium ac literarum rationem in Rhetoricis lectionibus explicans. Insequente autem anno

his-

—

historiam gentium cum artium ac literarum historiâ conjuncturus sum, ut magis etiam juvenes, tum ad suam singuli disciplinam praeparentur, tum ad plenam universi rerum humanarum perspicientiam ducantur. Quod quo uberioris esse possit utilitatis, edenda mihi visa est Oratio, ut rationem exprimens, qua utraque historia conjunctim tractetur. Atque hoc utilitatis studio factum est, ut nunc demum edatur. Nolui eam emittere nisi locis suis magis expletam, et magis omnino ad illud editionis propositum informatam. Quod emendandi refingendique negotium suum sibi tempus vindicavit. Adducebar sic continuo ad Antiquos denuo Recentioresque Oratores, et scriptores etiam alios, evolvendos, percurrendos, subinde etiam totos legendos. Argumenti enim rite tractandi difficultas in dies mihi major apparebat: praesertim, cum tractandum mihi esset non accuratâ quadam disputatione,

qua

qua judicii rationes ordine tradi et copioſe exponi posſent; ſed ejusmodi nimirum ſcriptione, quae tota est ab illâ argumentatione et rationum expoſitione aliena. Quapropter quod explicare disceptando et fuſâ oratione ſatis perſpicue potuisſem, id exprimere paucisſimis verbis debebam. Atqui hoc rite peragere in amplisſimo argumento, atque ita peragere, ut quivis unus te ſequatur, ad rerum ſummam adducatur, nec peculiaribus causſis adhaerescat, dici non potest quam ſit difficile. Quo magis quod de utrâque et Eloquentiae et literarum aetate judicium enunciaveram, illud examinare denuo et majore etiam evidentiâ proponere ſtudebam. Sed, qui editionis moram mirentur, pauci erunt vel nulli. Unusquisque hoc facile dabit muneris mei occupationibus: quibus ſane diſtractus de castigandâ reſingendâque oratione vix cogitare potui. Qui vero hoc ipſum mirentur, au-

ſum

sum me fuisse, non tantum castigare eam, sed etiam fere totam refingere, plures erunt et forte multi. Et his quod respondeam vix invenio, nisi hoc unum, idque ingenuo confitendum, totum me acquievisse in legentium indulgentiâ, quippe unice spectantem institutionis meae fructum.

Scripsi mense Septembre, anno MDCCCV.

ORA-

ORATIO

DE

ANTIQUA ELOQUENTIA
CUM RECENTIORE
COMPARATA.

ORATIO

DE

ANTIQUA ELOQUENTIA CUM RECENTIORE COMPARATA.

Nulla facile res magis diverſum in utramque partem judicium ſubiit, quam Antiquarum ſtudium literarum. Fuerunt, qui nil praeclarum, elegans, venuſtum exiſtimarent, niſi ex Antiquis literis ductum. Fuerunt item, qui nil, niſi inutile atque minutum, duci poſſe ex iisdem literis affirmarent. Illi, quo majo-

ribus Antiquos laudibus extollerent, vehementer contemnebant Recentiores. Hi Recentiores vehementer laudabant, quo majore cum contemtu Antiquos despicerent. Et nil negligebatur, quo utraque defenderetur sententia. Illi enim, quidquid apud Veteres praeclarum reperirent, id omne continuo arripiebant, complectebantur, admirabantur, supra rem ac veritatem ornabant. Hi, quidquid magis etiam praeclarum reperiri apud Recentiores putarent, illud ad aspernandos, deridendos, illudendos Veteres conferebant. Utrique suae ipsi sententiae tenaciter adhaerescebant, hanc unice tueri ac propugnare studebant, ne suspicati quidem, se posse errare. Caeterum, ut vehementissime inter se altercabantur, ita longissime in utramque partem a vero et probabili discedebant. Atque horum exemplo et auctoritate factum est, ut etiam nunc Antiquae illae

li-

literae ab aliis unice tractandae, ab aliis prorſus negligendae, a nonnullis etiam, tamquam juventuti noxiae, fugiendae exiſtimentur.

Et tamen ſummae est non tantum utilitatis, ſed etiam necesſitatis, ut hac de cauſſâ prudenter judicemus. Sic enim unice noſtra nobis inſtitutio vere prodesſe poterit. Scilicet Antiqui aevi, a tenerâ inde aetate, et linguas addiſcimus, et libros legimus, et leges percipimus, hoc maxime conſilio et propoſito, ut quae hinc perceperimus, in aevi noſtri uſum conferamus. At vero, ſi neutrius aevi veram rationem cognoverimus, quomodo vel ex illo fructum accipere audebimus, vel huic nos accommodare poterimus? Quomodo ex utroque ad noſtram ipſi utilitatem proficiemus? Ignorabimus ſane, an dona ab antiquitate accipere tutum ſit: ignorabimus item, an dona haec, qualiacunque tandem, noſtrae esſe aetati noxia

 pos-

posſint. Neque profecto reperiemus, Antiquos praeſtet an Recentiores ad nos ipſos excolendos praeceptores adhibere. Stabimus vero tamquam in bivio quodam, itineris incerti, nunc antiquitatem, nunc noſtram aetatem intuentes, dubitantes continuo, utram malimus adire, et vero in perpetuum dubitaturi, quippe qui neutram ſatis cognoverimus.

Equidem ſaepenumero conſiderans, quantum referat, juſte vulgo an perverſe de Antiquarum ſtudio literarum exiſtimetur, utilisſimum fore judicavi, ſi accuratior aliquando Veterum cum Recentioribus comparatio exhiberetur. Ipſe, per literarum et hiſtoriarum viam ad aliquem judicii fructum tendens, ſponte ſubinde in hujusmodi, qualemcunque tandem, comparationem incidi. Et, quandoquidem jam porro easdem et literas et hiſtorias doctrinae ſtudioſis traditurus ſum, haud ineptum exiſtimavi, ſi in pro-

provinciâ hacce suscipiendâ de Antiquo aevo cum Recentiore comparando verba facerem. Ita sane et duplicis hujus provinciae meae vim et efficaciam demonstrare, et ad eandem cum fructu administrandam mihi ipse viam aperire possem. Sed hoc argumentum cum latius patere videretur, quam quod hujusmodi contineretur oratione, hanc ex eo partem delegi, *Antiquae Eloquentiae cum Recentiore comparationem.* In quo delectu, Auditores, si forte prudentiam desideretis, nil sane, quo me tuear, afferre possim. Quid enim ego, hac ipse infantiâ, dicere de Eloquentiâ sustineo? Hoc unum valeo, ut Vestram mihi benevolentiam implorem. Sin vero consilium propositumque meum comprobetis, hanc sane comprobationem lubens accipiam. Illud enim in primis spectavi, ut, quicunque literarum studiosi in illo adhuc dubitationis bivio versantur, hi accuratius existi-

mare cum de Antiquo tum de Recentiore aevo discant, iidemque ex utroque, tam ad communem hominum utilitatem, quam ad naturae ipsi suae perfectionem, efficaciter proficere studeant.

Aggredienti autem mihi hanc materiam tractare, diversae continuo occurrunt tractandae ejus rationes. Versantur mihi ob mentem Antiquae Eloquentiae et Recentioris monumenta, quorum ingentem esse varietatem et infinitam fere copiam video. Haec igitur singula describam, atque ita descripta ad comparationem adducam? Nil sit profecto ineptius, et magis ab hoc tempore alienum. An vero loca ex utroque monumentorum genere excitem, e quibus ipsa generis diversitas cognoscatur? Aptius hoc quidem, sed vereor, Auditores, ut Vobis magnopere placeat: vereor, ut me fer-

re

re possitis aliorum orationes recitantem. Malim igitur aliam rationem, magis et Vobis et huic loco accommodatam. Velim utrumque oratorum genus considerare, utriusque virtutes ac dotes primarias notare, atque ex his veluti notis utriusque speciem quamdam et effigiem conformare Vobisque proponere. Sic cernetis, tamquam in picturâ quadam, utriusque Eloquentiae rationem, habitum et quasi formam. Ac simul ita judicabitis, utra utri praeferenda, utri in hoc formae judicio pulcritudinis palma tribuenda sit. Ego vero opiniones Vestras non antevertere, neque Vos in Eloquentiae sive Veteris sive Recentioris admirationem rapere conitar. Eo si forte perveniatis, non meâ sane descriptione, sed Vestro ipsi judicio adducti eritis. Ingredimur enim continuo ipsam rationis ac prudentiae viam. Hac tendemus ad eum quasi locum, unde, tamquam e speculâ,

res gentium cum Antiquarum, tum Recentiorum obſervemus. Inde attendemus, utri gentium generi majores opportunitates ad Eloquentiam tractandam fuerint, utrum hanc artem adducere ad ſuam vim et auctoritatem magis valuerit. Ita utriusque Eloquentiae habitum ac formam conjectando nobis informaverimus. Atque tum demum convertentes nos ad multa illa et varia Eloquentiae monumenta, indeque cum Antiquae tum Recentioris ſpeciem quaſi decerpentes, conjecturam ad judicium exigemus, ut utriusque Eloquentiae imago, qualiscumque tandem, ſed vera atque ad dijudicandum apta, quaſi ante oculos nobis appareat.

Atque hanc jam, quam diximus, viam ingredientibus, hoc nobis continuo quaerendum videtur, qua potisſimum ratione ingenii facultates ad Eloquentiam tractandam exerceantur. Facultates enim illae, quamvis naturâ mag-

nae, opportunitatibus quibusdam opus habent, quibus cum ad vim ſuam exſerendam proliciantur, tum ad peculiarem quandam artem tractandam adducantur. Feruntur Muſae circa fontes et rivos jucundisſimis locis degere. Et his ſane opportunitatibus ad ipſam Poeſeos virtutem informatur ingenium. Ibi enim continuo excitatur, expanditur, per totam rerum univerſitatem diffunditur, concipiens perpetuo venustisſimas rerum formas et imagines, et emittens e ſe ipſo, fontis perennis inſtar, nova quaeque et mirabilia, quae nullos non mortales advertant, nullos non, pariter ac loca in quibus exſtiterunt, mira voluptate perfundant. Ibi ſimul animus ad ſumma omnia et magnifica excitatus, ſuo ipſe impetu ingenium concitat, acerrimo pulcri magnique ſenſu imbuit, ad ſummam ſublimitatem educit. Unde ſponte et continuo oratio exſiſtit luminibus diſtincta,

sublimitatis plena, ipsam referens excelsi pectoris efficacitatem. Parem sane pectoris efficacitatem referre item debet Eloquentiae oratio. Sed haec non ita erumpit, non ita sine consilio emittitur, non ita tanquam e fonte in omnes promiscue partes effunditur ac divagatur. Habet vero certum propositum, tendit unice ad excitandam in hominum animis persuasionem, atque ita in pari virtute atque efficacitate disparem habet formam. Efficacitas illa ratione regitur, cum rerum peritiâ conjungitur, ad prudentiam componitur. Ita minorem habere impetum videtur, sed parem habet, et majorem fere, gravitatem. Ad hunc autem orationis quasi habitum non conformatur ingenium, quamdiu sibi ipsum in illis Poeseos locis relinquitur: sed in ipsâ hominum frequentiâ, ubi unâ maxime persuasione opus est, hîc demum ad disserendi prudentiam et Eloquen-

quentiae omnino gravitatem informatur. Igitur sua item loca habet Eloquentia, nec nisi in mediis civitatibus quaerendi sunt Oratores. Neque tamen in omnibus aeque ad artis facultatem exerceri possunt. In quibus totus populus ad continentiam compositus, non magnopere litibus agitatur, ibi non opus est persuadendi arte, non artis studio excitantur ingenia, nullus exsistit alicujus nominis Orator. Quo minus mirandum, non magnopere a Lacedaemoniis Eloquentiam esse cultam. Hi illam pectoris efficacitatem acriter sane dicendo prodebant, ac prodebant ita, ut cum summâ prudentiâ conjuncta appareret: sed nimirum et naturâ ipsi suâ et institutione ad continentiam ac temperantiam conformati, persuadendi studio duci non poterant. Ita istam sensuum altitudinem et rationis prudentiam breviloquentiâ significarunt, eloquentiâ significare non valuerunt.

runt. Haec non exſiſtit niſi ex perſuadendi necesſitate, quae ſola ad perſuadendi facultatem exercet ingenium. Quapropter in illis demum civitatibus Oratores quaeramus, in quibus ſummae continuo ſive de posſesſionibus, ſive de honoribus controverſiae agitantur: in quibus cives per has controverſias in contrarias partes diſtrahuntur, ſinguli jus ſuum omni ratione vindicare, univerſi juſtitiam et aequitatem tueri ſtudent; atque ita ſumma ſenſuum ſtudiorumque contentio prudentiae quadam obſervatione temperatur. Neque dubitandum quin ſummam illic orationis vim et efficacitatem, ad ipſam Eloquentiae rationem compoſitam, inventuri ſimus. Quodſi orationem volumus, quae ſimul etiam praeclarorum ſtudiorum ſignificationem habeat, Graecas pleraſque civitates reſpiciamus. Ibi ſummam gloriam omnes omnino cives ſummis ſtudiis appetebant. Videmus illic in

illâ gloriae viâ ad ſumma omnia univerſos proruere, ſingulos cum ſingulis concertare, juvenes evolare, viros conniti, ſenes, aetate graves, tamen admonere, adhortari, incitare, adjuvare, omnem aetatem, omnem conditionem, omne civium genus ſummâ aemulandi contentione et ferri et prorumpere. Illic certe Eloquentia ipſa haec ſtudia referre debuit, debuit referre altisſimos quosque animi ſenſus, et animum omnino humilium abjectarumque rerum contemtorem, magnarum unice ac ſublimium admiratorem. Sed ipſas has civitates paullo attentius conſideremus, attendamus in iis Eloquentiae opportunitates.

Gentes illae tantis ſtudiis ferventes, tranquille degere in ſuis civitatibus non poterant, ſed per controverſias, quas diximus, in factiones erant diviſae, acerrimas illas, ac furore ſubinde contra ſe invicem excitatas. Accedebat,

bat, quod in nonnullis earum, praesertim Athenis, incredibilis esset populi levitas, qua magis etiam alebatur partium illud studium. Sic continuo gravissimae seditiones oriebantur, in quibus factiones, adversus se invicem irruentes, omnia caede et sanguine replebant, divina humanaque omnia commiscebant, aliquando totam civitatis rationem conturbabant atque immutabant. In his turbis nulli non affectus, nulla non studia, nullae non cupiditates acerrime se exserebant. Flagrabat prorsus ambitio et dominandi studium. Unusquisque omnem animi impetum profundebat, omnem mentis efficaciam intendebat, facultates omnes ac vires colligebat, ut, in tantâ animorum concitatione, ipse furentem multitudinem adverteret, ipse unus universam teneret. Ita exsistebant qui fervidam ex ardente pectore orationem emitterent, dicendo in hominum animos inveherentur, hos

tangere, percellere, tractare, modo ad iram concitare, modo ad lenitatem flectere, modo resistentes ac reluctantes verborum pondere opprimere ac superare quaererent. Et alebatur continuo dicendi studium istâ populi levitate. Poterat oratio, efficaciter emissa, tamquam ventus aliquis vehementer erumpens, totam hominum multitudinem, quocunque vellet, inflectere, quidquid obstaret dejicere, quidquid resisteret summovere, quoquoversum efficaciam suam et impetum diffundere, ubivis persuasionem, imo vero assentiendi studium, idque acerrimum, excitare. Poterat Orator eandem assentientem multitudinem ex tantis commotionibus ad tranquillitatem componere, totam sibi conciliare, ad sui studium atque admirationem abripere, ac persuasione universam civitatem ducere, regere, gubernare. Tantae auctoritatis spes in nullo non erecto pectore acerrimum de-

be-

bebat Eloquentiae ſtudium concitare. Non poterant juvenes hujusmodi orationem audire, hujusmodi Oratorem intueri, quin ad parem ipſi et perſuadendi vim et gloriae ſplendorem continuo adſpirarent. Quidquid intus efficacitatis, quidquid ardoris, quidquid generoſi ſpiritus habebant, id continuo excitabatur, per totam mentem diffundebatur, omnes ingenii vires intendebat, ipſum ingenium ad nil non ſuſcipiendum, nil non perficiendum et erigebat totum et quaſi amplificabat. Informabantur ſponte ingenia ad parem Eloquentiae facultatem, et ipſa ſic ars ad ſummam perfectionem evehebatur, omnes certe opportunitates habebat, quibus ad ſuam ipſa virtutem invaleſceret.

Neque diſpar fuit Romanorum ratio, niſi quod minor his levitas, ſeveritas et conſtantia major fuerit. Quo factum, ut majorem etiam

di-

dignitatem et auctoritatem ipsorum Eloquentia adsciscerent. Caeterum eadem apud illos studia, eaedem seditiones, eadem Eloquentiae opportunitas et origo.

Jam vero, si Recentiores gentes circumspiciamus, ubi tandem par artis studium reperiamus? Scilicet nusquam par exstat Reipublicae atque institutorum ratio: nusquam par habetur Eloquentiae honos. Sunt sane regiones, in primis Anglia, ubi permultae sunt Eloquentiae opportunitates. Sed peregrini esse debemus in Antiquis civitatibus, si has cum illis comparandas censeamus. Tanti studii, tantae ad gloriam concertationis, tanti Eloquentiae ardoris vix hodieque umbra apparet. Habemus certe dicendi argumentum, sacrum dico, quod, Veteribus ignotum, unum est in paucis ad Eloquentiae gravitatem et vero majestatem accommodatissimum. Et hoc profecto eâ est a Recen-

tioribus ubertate, copiâ, magnificentiâ tractatum, ut ipsi cum Antiquis Oratoribus concertare videantur. Sed defuit iis patria, in qua sponte Eloquentia esset nata, et suam ipsa plane alacritatem proderet. Defuit iis civitas, quae tota Eloquentiâ regeretur. Quodsi in eo genere, quod memoravimus, tantopere excelluerunt, ad hanc obtinendam excellentiam ipsa eos argumenti praestantia et divina auctoritas multum adjuvit. Atqui non argumentis, quae tractet, censenda est Eloquentia: censenda est suâ ipsa virtute: hac nullum non argumentum, quamvis etiam abjectum, illustre reddit.

Ergo, si opportunitates consideramus, quibus cum Antiquo tum Recentiore aevo ad Eloquentiae facultatem informari potuerunt hominum ingenia, majores sane apud Antiquos quam apud Recentiores, et summas omnino apud Antiquos reperimus. Et dubitemus, Auditores, utri Eloquen-

quentiam ad majorem provexerint praeſtantiam? Mihi quidem, ſaepenumero de hac arte et totâ ejus ratione et amplitudine cogitanti, una omnium artium ad tractandum difficillima viſa est: viſa est omnino, niſi maximâ quadam et peculiari prorſus ingenii exercitatione, ad juſtam rationem tractari non poſſe. Non enim ad Eloquentiae facultatem ſufficit, ſi unice ingenium, vel ad ſummam ſolertiam et fingendi felicitatem, vel ad parem prudentiam judicandique ſubtilitatem, excultum ſit. Alterâ ingenii virtute contenta est Poëſis, alterâ Philoſophia. Utramque vero ſibi expoſtulat Eloquentia, atque expoſtulat ita, ut nec fingendi ſtudium judicii ſeveritati, nec rationis diligentia ingenii elegantiae officiat. Primariae igitur mentis facultates tum ſingulae acui, intendi, ad plenum vigorem exerceri, tum univerſae conciliari inter ſe, ad juſtum concentum componi debebunt:

ſic tandem ex hujusmodi totius mentis quaſi harmoniâ Eloquentiae exſiſtere facultas poterit. Et haec ipſa facultas, ut efficax fiat ad infinitam quandam hominum multitudinem ſolâ oratione et tenendam et ducendam et cohibendam et vero regendam, quam aſsidue, quam acriter exercitari debet! Hìc profecto incredibili opus est artis ſtudio, non tali illo, quale in ſingularibus hominibus continuo exardeſcit, mox vero friget: ſed ejusmodi nimirum, quale in univerſâ quadam gente ardentisſimâ et continuâ concertatione asſidue alitur, ad nullas non difficultates ſuperandas concitatur. Tale profecto ſtudium una cum caeteris opportunitatibus omnibus in Antiquis fuit civitatibus, et fuit tam efficax, ut ſponte cives ad difficillimae artis facultatem fingerentur toti et informarentur. Ita illic Eloquentia ſatis habuit nutrimenti, quo inſigniter invalesceret, nec tantum

tum ad vim et efficacitatem intenderetur, ſed ad ſummam ſimul copiam, ubertatem, amplitudinem expanderetur. Et eadem ad tantum robur increſcens non impedimentis et angustiis cohibebatur, quominus ſe commoveret, ſuam ipſa vim exſereret, vires quaſi ſuas tentaret et explicaret; ſed, propter ſummam ſtudiorum omnium libertatem, tamquam in libero ſpatio, explicare eas, quamvis amplisſimas, totas potuit. Et quidni ſic ibi, his quaſi viribus ſublata, ipſo majestatis habitu ad ſummam perſuadendi vim et auctoritatem ſurrexerit?

Verumtamen, quo probabilius de utrâque Eloquentiâ auguremur, accuratius etiam et interius examinemus omnia. Inquiramus Recentioris etiam originem. Obſervemus proprium utriusque et peculiarem habitum et quaſi colorem. Sic utriusque demum diverſas dotes,

diverſas virtutes, diverſam omnino laudem tenebimus. Hîc vero

Alter ab integro rerum mihi nascitur ordo.

Conſideranda enim erit ipſa cum Antiqui tum Recentioris aevi ratio et veluti indoles, quae peculiari quodam et diverſo fingendi, inveniendi, cogitandi, exiſtimandi modo cernitur. Ex hac aevi indole, tamquam ſtirpe, et Antiquae et Recentiores artes diverſâ ratione expullularunt, et, veluti rami, diverſâ formâ ad ſublimitatem ſuam increverunt. Igitur non ſecluſâ aliquâ aquulâ delectemur: ulterius progrediamur: accedamus eo, unde univerſum artium flumen utroque aevo erupit: conſideremus omnino istam artium ſtirpem et prima ejus initia. Atqui haec ſtirps

quantum vertice ad auras
Aetherias, tantum radice in tartara tendit:

ten-

tendit enim in imas et remotissimas historiae gentium latebras et penetralia. Ergo hanc perquiramus historiam, ut Antiquarum et Recentiorum artium, et simul sic Eloquentiae, peculiarem formam habitumque percipiamus.

Artes et literae Graecorum ex Joniâ et caeteris Asiaticis coloniis exstiterunt. Hîc sub miti placidoque coelo efflorescere coepit Poësis, mirâ gratiâ ac venustate commendata. Pari commendatione Musica prodiit, quae Poësi conjuncta, ad Deos celebrandos ac fortia majorum facinora ornanda inserviebat. Utraque per has regiones se laete diffundens ubivis elegantiae venustatisque studium excitavit, unumquemque ad virtutem, honestatem, fortitudinem adhortans. His se deinceps conjungens Philosophia, una cum elegantiae amore prudentiae rationisque studium per totam Graeciam disseminavit. Exorti sunt ubique philosophi,

poëtae quidem fere omnes, sed sapientiae studiosi, neque a Poësi retinentes, nisi orationis quemdam cultum et habitum. Horum plerique patriae suae praefuerunt, cives suos monendo hortandoque juverunt, civitatem suam ferendis legibus ad firmiorem conditionem adduxerunt. Exstiterat jam antea Eloquentia e discordiis illis et seditionibus, quas paullo ante memoravimus. Sed illa ab his tum philosophis magis ad rationis habitum, et prudentiam omnino, temperari coepit. Adhibita ad res serias et summi omnino momenti proponendas, a Poëseos lascivià remisit, ad gravitatem composita fuit, tota fuit ad persuadendum accommodata. Ita sensim sensimque ad suam dignitatem pervenit, rudis quidem primum, sed vere flexanima ac summae auctoritatis plena, quippe quae auctoritatis caussà usurparetur. Tandem Athenis miro venustatis dignitatisque cultu enituit,

nil

nil tamen a Poësi ornamenti assumens, sed ipsam referens Philosophiae gravitatem.

Alia fuerunt apud Romanos artium initia. Non enim ita sponte et eo habitu effloruerunt. Una Eloquentia et sponte et summâ auctoritate exstitit. Exstitit enim ex ipsa civitatis constitutione, ac persuadendi commovendique studio ad suam dignitatem increvit.

Sic igitur Antiqua Eloquentia neque aliunde adscita est, neque ab aliis artibus cultum accepit: ex ipsis prodiit Antiquis civitatibus, ac prodiit ita, ut fucum omnem aversaretur, suâ se formâ satis commendans.

Recentiorum Eloquentiam et artes etiam caeteras a prima inde origine repetere, difficillimum est negotium. Graeci ab Aegyptiis, Phoenicibus, aliis gentibus, quibus antiquissimo aevo commixti fuerunt, multa adsciverunt, sed ita semper, ut suam tamen cogitandi agendique

rationem servarent, suam veluti personam sustinerent, omnino, se ipsi quasi fingerent atque ad suam se formam componerent. Hoc satis et lingua eorum indicat, vix ullum habens imitationis vestigium, et ipsam fere naturam exprimens. Romani permulta certe a Graecis assumserunt, et plura adeo, quam ab Aegyptiis Phoenicibusque Graeci. Verumtamen in plerisque negotiis semper sui manserunt. Et, quod ad Eloquentiam attinet, hanc, ut diximus, ipsi pepererunt, neque per Graecorum imitationem plane immutarunt, sed ornarunt tantummodo ac laetificarunt. Dispar est plane Recentiorum nationum conditio. Hae ex diversarum gentium colluvie exstiterunt, ab aliis alia assumserunt, atque ita quidem, ut ad adscitia illa se totas componerent. Omnia in iis non tantum aliena, sed ex diversis fontibus hausta atque adeo undique commixta. Et

hac

hac de causſa haud in promtu est bene defi-nire, unde proprie repetenda ſit artium trac-tandarum apud Recentiores ratio.

Posſit aliquis opinari, repetendam eam esſe a renatarum literarum tempore, ſaeculo XV et XVI. Neque profecto dubitandum, quin, trac-tandis tunc antiqui aevi monumentis, ad eam humanitatem et culturam adducti ſint homines, ut artium colendarum et acerrimo ſtudio inci-tarentur, et meliorem, quam antea, methodum ſequerentur. At vero jam tunc temporis ho-minum et ingenium et tota indoles ad certum quemdam habitum erat conformata, qui habi-tus illo antiquitatis ſtudio prorſus immutari non poterat. Et vero adeo abhorrebant illius ſaeculi ſtudia, mores, opiniones ab Antiquorum ratione, ut horum legendis libris non ita pe-nitus converti commutarique posſent. Ergo, ut rem accuratius indagemus, altius eam repe-

ta-

tamus atque in media nos barbarorum tempora conferamus.

Barbararum gentium, quae antiquum elegantiae lumen exſtinxerunt ac novam per totam Europam rerum fere omnium rationem induxerunt, dici non poteſt, quam utilis ſit ac fructuoſa hiſtoria. Continet enim initia et ſemina omnium eorum, quae deinceps ad noſtra usque tempora ad ſummam hominum admirationem acciderunt. Quae ſane mirari deſinent qui aevi iſtius hiſtoriam cognoverint. Et vero, niſi hac cognitâ, plene exiſtimari de Recentioribus linguis, moribus, opinionibus, inſtitutis, legibus nullo modo poteſt. Sed, uti ſeptentrionales gentes novam rerum civilium, ita Arabes peculiarem artium doctrinarumque formam inſtituerunt. Hi fervido nati ingenio maxime trahebantur Poëſeos ſtudio, et carminibus ſuis vehemen-

mentem indebant cogitationis impetum et ipſum omnino ingenii ſui fervorem. Itaque in Hispaniam progresſi hunc mentis ardorem ſenſim ſenſimque communicare cum Europaeis gentibus coeperunt. Unde apud has incredibilis quaedam in ſuſcipiendo audacia, in agendo temeritas, in cogitando fingendoque vis et alacritas exſtitit. Quem ingeniorum ardorem mores ejus aetatis plane retulerunt. Ex hac autem aevi ratione Poëſis nata est Arabicae ſimillima fictionum plena, imaginibus illuſtris, luminibus ſplendens: eademque ita eluxit, ut literis omnino ſuum colorem affunderet. Caeterum Arabes res etiam Mathematicas et Philoſophicas colebant: in primis in Oriente. Illic Manſurus, ſaeculo VIII, ita Philoſophiae Geometriaeque favebat, ut non tantum quidquid Oriens in his rebus praeſtitisſet, hoc omni ratione adſciscere ſtuderet; ſed etiam Aristo-

te-

telem, Euclidem, alios ſcriptores Graecos Arabice verti juberet. Haec eorum Philoſophia, cum depravatâ deinceps iſtius temporis Theologiâ commixta, Scholaſticam peperit philoſophandi methodum. Quae mox per univerſos fere Europae populos diffuſa eſt atque propagata. Haec ſatis de Arabibus. Videmus, qua ratione et artes et doctrinas tractaverint. Ac facile jam intelligimus, quam vim haec eorum ratio in Recentiora tempora habere debuerit. Scilicet eam habuit, ut doctrinae quidem ad Geometriae Philoſophiaeque diligentiam exigerentur, magis obſervandi aſſiduitate, quam fingendi ſolertiâ colerentur, omnino, ad propriam ipſarum methodum tractarentur: artes vero et literae partim Poëſin iſtam Orientalem referrent, magis ad perſtringendos percutiendosque ſenſus, quam ad mulcendos eos leniendosque componerentur: partim

tim a Geometriae diligentiâ non abhorrerent, ſed ordinis, distributionis, perfectionis, artis omnino ſtudium haud obſcure ſignificarent.

Ita, ni fallimur, artium ac doctrinarum Recentiore aevo ratio exſtitit, atque, ut tandem ad Eloquentiam veniamus, haec item inde formam ſuam et colorem aſſumere debuit. Nusquam enim, ut Antiquo aevo, ex civitatum conditione et conſtitutione nata est, et nnsquam adeo naturae illum vigorem prodere potuit. Adhibita fuit ad res ſacras, unde ſummum ſane ſplendorem accepit. Nec tamen ejusmodi haec fuit opportunitas, ut inde ad vim ſuam propriam plenamque dignitatem invalesceret. Igitur aevum ipſa ſuum referre debuit, ac produit ita, ut poëtici non nihil ornamenti afferret, diligentiae caeteroquin limaeque ſtudium prodens.

Jam vero, ſi Antiquam reſpicimus Eloquentiam,

tiam, quo eam discrimine ab hac Recentiore distinctam existimabimus? Discrimen hoc multis partibus cernitur, sed paucis illud verbis complectamur. Statuamus igitur, in Antiquâ Eloquentiâ naturam, in Recentiore artem dominari: illam ex aevi sui conditione sponte natam, ultro commendari naturae integritate, hanc autem, studio cultam, artis adhibere commendationem.

Et hinc quidem continuo cognoscemus utriusque Eloquentiae dotes virtutesque omnes: si quidem haud ignoremus, quae sit naturae, quae item artis vis. Erunt tamen forte qui dubitent, Vetusne sit hoc nomine, an Recentior praeferenda Eloquentia. Incredibilis est nimirum artis efficacia: speciem habet perfectionis, qua capit fere vulgus hominum, facile credentium et firme etiam tenentium, nil comparari cum tantâ pulcritudine posse. Et mirum

rum fit fane, nifi e tanto aliquando ordinis, diftributionis, perfectionis ftudio ftupenda quaedam pulcritudo exfiftat. Dubitandum vero an illa hinc umquam posfit exfiftere, quae naturalem fuperet. Gaudet natura innumerabilibus dotibus, miram ipfi gratiam conciliantibus, quae exprimi imitando non posfunt. His carens artis illa fcilicet perfectio frigeat necesfe est. Et, qualiscumque asfumatur fucus, ornatus, fplendor, asfumi non potest naturae vis, quae, intus latens, vigorem quoquoverfus et alacritatem diffundit, nec ornat folum omnia fed animat plane. Et dubitemus, artisne praeferenda fit, an naturae commendatio? dubitemus, Auditores, artisne fagacitate, an naturae vi plenius informari Eloquentia ad fuam dignitatem posfit? Ne vero quisquam dubitet. Fateamur potius, Eloquentiam, veluti plantam, ex antiquâ unice ratione, disciplinâ, ci-

vitatis conſtitutione, tamquam e ſuâ terrâ, eum trahere et ſuccum et vigorem potuisſe, quo laete cresceret, magnifice exſurgeret, ad ſummam virtutem invalesceret: eandem vero in aliis regionibus, ubi alia inſtitutio, aliae leges, alia ſtudia, diverſa ab antiquis ſunt omnia, in his igitur regionibus, fovendo quidem et colendo et nullo non artificio adhibendo ad mirabilem plane ſpeciem exſurgere posſe; verum enim, quippe ſuo non gaudentem coelo atque ſolo, ſuum contrahere robur et vigorem, ad ſuam ſe extollere formam et majeſtatem, nullo modo posſe.

Neque ſane in hac opinione nostrâ partium quis ſtudium ſuſpicabitur, quaſi Antiquis magis quam Recentioribus faveamus. Isto non ſtudio ducuntur quicumque regiam ſequuntur, quam Historia recludit, judicandi viam. Hac nos viâ eo adſcendimus, unde, quaſi e ſpeculâ,

lâ, aevi cujusque rationem, artium universarum origines, diversam earum apud diversas gentes formam attenderemus. Quibus sane spectandis praejudicatae opiniones omnes, si quae in animis haeserint, cedere continuo atque evanescere debent. Atque ita haec spectantes ingenue enunciavimus sententiam nostram, nec Antiquis faventes, nec Recentioribus parcentes, illud vero secuti, quod sive verum sive probabile videbatur. Jam vero aliam deinceps instituamus disquirendi rationem, quo certius aliquando ad sanum hac de causâ verumque judicium perveniamus.

Descendamus igitur, Auditores, ab hac gentium consideratione ad ipsa contuenda Eloquentiae monumenta. Et contuebimur sane illa mirâ cum voluptate. Nitent enim summo humani ingenii splendore, atque una cum elegantiis venustiisque omnibus excelsi cujusque

pectoris sensus, eosque altissimos, exprimunt. Neque Oratorum hîc tantum, sed nullius non praeclari scriptoris opera consideranda sunt. In Veterum certe scriptis, philosophicis etiam et historicis, ubivis apparet Eloquentia. Apud hos enim artium elegantiorum veluti chorum primo duxit Poësis, laete exsultans, ac gratiâ ipsa suâ nil non ad se alliciens. Sed Poëseos munus deinceps suscepit Eloquentia, vi suâ et majestate, miris illecebris temperatâ, trahens ad se et artes omnes et Philosophiam item, et ipsam tandem Poësin. Etenim veluti flumen, magno cum impetu proruens, ac nil non obvium secum abripiens, artes etiam caeteras, tamquam amnes laete prolabentes, suo cursu suscepit, secum ipsa abduxit, vi suâ implevit, eandem ire quasi gravitatis, majestatisque viam coëgit. Sic omnia conformari ad Eloquentiae habitum

coc-

coeperunt, ipſi denique poëtae, apud Romanos maxime, eam imitati ſunt. Tanta esſe vis debebat praeclarisſimae artis, quippe apud Antiquos quidem, et ſponte natae, et naturae vigorem, candorem et quaſi amabilitatem cum auctoritatis ſignificatione prodentis.

Atque intuentibus jam nobis haec tot ac tam varia Eloquentiae monumenta, quid tandem de iis exiſtimandum videbitur? Cernitis continuo, Auditores, in ipſis illis Antiquis diverſitatem quandam. In Romanis certe magis copiam, ubertatem, amplitudinem, in Graecis magis ſimplicitatem, ſed majori efficaciae conjunctam, admiramur. Fere ſuspicemur, in Romanis illis non nihil artis ſubesſe, occultatum iſtud quidem, ut vix appareat, ſed ſubesſe tamen. At hoc cuicuimodi ſit, nihili esſe videtur et evanescit plane prae Recentiorum operum ſplendore. Inſignis ille ſane, et quamvis

artem prodens, prorſus admirabilis. Quantus hic verborum ornatus! quantus ſententiarum ordo! quanta omnino totius orationis commendatio! Verum enim ne artis hîc illecebras nimis admiremur. Caveamus ab iis prudenter. Caveamus in primis, ne antiquitatem contemnamus. Etenim vel fallor, vel attendentibus nobis, atque in utramque viciſſim partem oculos convertentibus, illa olim antiquitas magis placebit. Sed hoc quo magis pateat, detis mihi hanc veniam, Auditores, ut virtutes utrimque primarias Vobiscum obſervem. Ita ſenſim ſenſimque utriusque aliquando Eloquentiae imaginem mente complexuri ſumus.

Atque hoc quidem continuo patet, majorem eſſe Antiquae, quam Recentioris Eloquentiae ſimplicitatem. Simplicitatem dico non formae quamdam tenuitatem negligentiamve, ſed nativam formae gratiam ac venuſtatem, cum pari con-

conjunctam gravitate, quae quemvis capiat, teneat, moveat. Recentior Eloquentia similem habet formam, nec tamen parem. Adest quidem gratia, venustas, pulcritudo: adest in primis ornatus: sed deest nativus color et habitus. Antiqua eo incedit habitu, qui magis magisque te capiat: Recentior autem eo, quem continuo admireris atque suspicias, haud facile tamen ames. Minor est Antiquae luxuries, simplicitas major: major item sublimitatis vis. Certum haec iter non sequitur, huc illuc vagatur, per multas variasque ambages ducit: erres continuo, jucunde quidem, sed erres tamen et quaeras subinde, quo tandem perventurus sis. Ne vero quaeras: sensim sensimque ad sublimem locum accedis, ubi pulcerrimum habebis et plane novum spectaculum. Ad idem forte spectaculum Recentior item Eloquentia adducet, neque tamen

tam jucunde ſpectabis. Non ſponte eo et quaſi errando, ſed ex induſtriâ accesſeris: accesſeris per illuſtrem quandam ſplendidamque viam. Si gravitatem quaerimus, nil Antiquâ Eloquentiâ gravius: ſed par est in gravitate ſimplicitas. Ipſâ te ſimplicitate moveat. Tota oratio leniter placideque decurrit: decurrit autem perpetuo: ſic ad intimum tibi ſenſum facile permeabit. Senties ejus vim: commoveri te ſenties: cogitabis, ſuscipies praeclara omnia: ſtimulus latebit; tamen, qualicunque tandem ſtimulo, eo eris ſponte adductus, quo vix te trahat vis et pertinacia. Tantam efficaciam habet orationis gravitas, ea quidem, qua movere ſolet Antiqua Eloquentia. Aliâ movet Recentior, nec pari cum efficaciâ. Tentamur, ſollicitamur; aegre vero permovemur. Adducamur forte eo, ut probemus praeclara facinora, laudemus qui ea ſusceperunt, non item eo,

ut

ut ipsi suscipiamus. Adest omnino stimulus, nec latet: admovetur manifesto: admoveri eum videmus, sed videmus magis quam sentimus. Deest nempe illa orationis continuitas, perpetuitas, aequabilitas, illa sententiarum connexio, illud omnino orationis quasi flumen, quod, aequo cursu, constanti gravitate procedens, obiter nos suscipiat, provehat, auferat. Hoc flumine decurrit Eloquentia Antiqua: pergit per devia subinde loca, per ambages item: pergit tamen continuo, et sic quidem, ut sponte impedimenta dimoveat, ad propositum perveniat, persuadeat. Recentior ad idem persuasionis propositum accedit item, pervenit nonnumquam, numquam vero eâdem cum gravitate pervenit.

Verumtamen, ut his dotibus ac virtutibus Antiqua Eloquentia Recentiorem vincit, ita suas habet utraque propriasque laudes. Utraque

arbori est ſimilis, Antiqua vigenti, procerae, caeterum ad ſuam ſe formam libere explicanti: Recentior minus vigenti, ſed arte ſtudioque ad cultiorem adeo elegantioremque formam conformatae. Illam amni compares, recens ex fonte prolabenti: hanc amni item, ſed procul a fonte, ac multis variisque ſpiris per hortulos ſerpenti. Alter amnis ipſum habet naturae impetum: alter vix movetur. Tamen habet uterque, quo nos alliciat, ille ſui ipſius, hic artis praeterea hortulorumque commendationem.

Sed haec de leniore ac ſedatiore orationis genere, quo non minus alii, hiſtorici in primis et philoſophi, quam oratores utuntur. Jam vero evehamus Eloquentiam in ſuum locum, id est, in populi concionem. Hîc demum virtutem omnem exſerere, vires omnes explicare poſſit. Atque huc quidem Antiquus Orator eandem

ad-

adducit alliciendi, conciliandi, movendique facilitatem cum summâ gravitate conjunctam: sed adducit haec omnia multo etiam magnificentiora. Praestat se continuo illius civitatis civem, quae caeteris civitatibus gentibusque omnibus se parem sentit. Tantam plane auctoritatem sustinet. Ita quidquid habet indolis, quidquid naturae, quidquid animi spiritusque, id omne exserit, explicat et quasi effundit, ut ab ejus ore pendens, ipsam tibi audire patriae vocem, ipsam tibi adspicere tantae civitatis majestatem, videaris. In Recentiore Oratore ipsa vis patriae non ita se prodit: prodit se vero divini muneris dignitas. Ab ipso quippe Deo legatus, qui homines adhortetur, gravitate utitur tanto officio consentaneâ. Nil non adductum ad movendum, percellendum, persuadendum: omnes sententiae ad hoc propositum accommodatae: plenae omnes fervo-

ris,

ris, ſpiritus, perſuaſionis: verba interdum grandia, ampla, eademque lenioribus ſubinde et quaſi conciliantibus excepta. Concedes gravitatem ſingi majorem non poſſe. Suspicies Oratoris auctoritatem, et tantae auctoritati ipſam exiſtimabis orationem parem. Ast idem fateberis, majorem etiam esſe Antiqui Oratoris efficacitatem. Habeat hic minoris dignitatis argumentum, adhibeat minorem induſtriam, curam, diligentiam. Non posſumus non haec omnia excuſare. Et vero vix ea animadvertimus. Scilicet artem non cogitans ipſâ movente naturâ provehitur. Altus ille animi ſenſus eum totum agitat, totum ad ſublimitatem, magnificentiam excitat, totum ad perſuadendum incendit. Volvitur quaſi ſponte oratio, impetum illum et ardorem ſpirans: diffunditur haec per concionem totam, omnes mentes attingit, impellit, inflammat: emittuntur verborum qua-

ſi tormenta, quae vel hebetisſimos animos excitant: emittuntur ſententiarum lumina et tamquam faces, quae univerſos corripiunt, inflammant, ubivis veluti incendium alunt. Ita omnes animi affectus moventur, omnia ſtudia ſuscitantur. Ita Orator ſuum ipſe ſenſum cum aliquot millibus hominum communicat, hos univerſos tenet, ducit, et, tamquam victor, regit plane. Victoriam pariter plenam reportabit item Recentior Orator; reportaverit vero eam non ſuâ ipſe vi, ſed argumenti adjuvante auctoritate. Ipſam non ſpirat naturam, illum non habet naturae impetum, qui unus maxime debet movere. Compenſat haec arte quadam, mirabili quidem, ſed non ſatis efficaci. Athletae cernes imaginem ad tantam formae praeſtantiam et majeſtatem conformati, quantam in homine nec ſuſpicatus ſis umquam nec finxeris. Admiraberis ſingulorum membrorum vires, univerſorum concinnitatem,

co-

totius ſtaturae vim et veluti impetum: obſtupeſces plane majeſtate tantâ, deprehendes omnino divinitatis quandam ſignificationem. Sed cernes imaginem. In Antiquâ Eloquentiâ ipſum habemus athletam, hominem plane, ſed viventem, ſpirantem, agentem, pugnantem. Non tanta est in ſingulis partibus perfectio; ſed per univerſas vigor est diffuſus. Vita et ardor per totam ſe conformationem exſerit. Nil artis apparet, ſed ſponte omnia ad majeſtatem conformantur, ſponte exſiſtit habitus ille, quo nullus esſe gravior, nullus magnificentior potest. Hoc habitu, hoc naturali vigore procedens Eloquentia antiquas civitates, Romanam maxime, ad nil non audendum, ad ipſum terrarum orbem expugnandum erexit, generi humano, tamquam in illuſtri quodam exemplo, et naturae efficaciam et ſuam ipſa majeſtatem ſpectandam praebens.

No-

Notavi, Auditores, utriusque Eloquentiae dotes atque virtutes, quotquot in utriusque aevi monumentis insigniter apparent. Sed, quo magis tota haec comparatio et omnis ejus vis ac ratio percipiatur, illud in primis tenendum, quod supra vidimus, Recentiorem Eloquentiam non nihil a Poësi assumsisse. Inde factum, ut minus in eâ perfectio quam perfectionis studium appareat. Scilicet alia est Eloquentiae, alia Poëseos natura. Illa ad populum ducendum in mediis civitatibus nata est: haec quibusvis in locis ad acriores animi sensus exprimendos exstitit. Altera igitur auctoritatem habere cum sapientiâ conjunctam debet: altera libere ingenio frui et nullis non studiis indulgere potest. Et suum est utrique propriumque propositum. Eloquentia monere, docere, hortari studet: Poësis excitare mavult. Illa judicii auctoritate hominem movet,

vet, gubernat, ad consilium suum ducit: haec, sensuum ardore elata, propellit nos quo ipsa prorumpit, suo nos ardore imbuens. Dispar igitur esse utriusque oratio debet. Magna est Eloquentiae modestia. Quidquid ad persuasionem afferat, non ex longinquo, non ex maximis quibusque rebus repetet: erit hoc omne sponte natum, sive ex ipso argumento, sive ex opportunitate quadam. Exsistent ita comparationes simplices, tenues, atque, ut videri possit, abjectae, ductae quippe ex vitae usu et ex communi observatione; sed eaedem, tempore locoque adhibitae, eam habebunt magnitudinis speciem, eam exserent persuasionis vim, ut nil videatur ad commovendum efficacius. Non fugit sane dictionis sublimitatem nec metaphoras illustriores, sed non item sectatur: esse mavult quam videri sublimis. Poësis tantam non curat prudentiam: nil tamen in ejus

ejus oratione desiderabis. Si delectare te velit, undique apparebunt delectationis illecebrae, veneres, lepores, elegantiae omnes: apparebunt autem ita, ut ullo vix studio adhibitae videantur. Tantopere te capient et delectatione perfundent. Sin movendi habeat et impellendi consilium, effertur subito per rerum universitatem,

Omnia pervolitat late loca,

undique decerpit rerum imagines, venustas, illustres, magnificas, quae, veluti lumina, per orationem vagantes, extemplo nos advertunt, in admirationem rapiunt, atque, varium continuo splendorem emittentes, in omnes nos partes versant, ad omnia nos studia excitant, totum nobis animum agitant, concutiunt, subinde etiam, tamquam fulminis eruptione, stupore defigunt.

Sic aliam habet Poësis, aliam Eloquentia,

persuadendi rationem. Illius autem persuasio efficacior, hujus constantior erit. Poësis enim suo nos numine impellens, quocumque velit, efficacissime adducet; sed quocumque progressos nostra nos olim revocabit ratio. Eloquentia rationem sibi nostram continuo conciliat, tum suâ nos auctoritate concitat: sic ipsi olim sponte proruemus. Furore haec illo non agitatur, sed valet auctoritate. Hac freta nihil prorsus desiderat. Et quamvis sit pertinax, quam movere debet, hominum turba, non aliunde arma petit, non Medusae objicit speciem. Talem non amat, quamvis efficacissimam, persuasionis vim. Pronunciabitur vero oratio, prudentiae plena, ad conciliandum accommodata, nec minus ad excitandum, commovendum, impellendum efficax, et tota exprimens altum magni pectoris sensum, spiritum, instinctum, ipsam omnino auctoritatis vo-

cem.

cem. Nec sua deërit orationi vis. Quin etiam ita eris totus ad contrariam sententiam adductus, ut hanc in perpetuum unice probaturus sis. Scilicet non impetu tantum et animi sensu ad assentiendum perveneris, sed sensum probaverit ratio. Et ipsam sic tueri sententiam poteris. Acceperis enim quasi Palladis scutum, quo omnem Medusarum, ipsam fulminis vim confutabis.

Propter tantam naturae, propositi, orationis, persuasionis diversitatem, nullum est Poësi cum Eloquentiâ commercium. Eloquentiae certe non licitum est Poësi se conjungere. Suam utraeque vim et commendationem habent. Hanc debent tueri nec se invicem consectari. Nisi enim suae maneant, et suam ipsae dignitatem sustineant, nil sanum proferre, nil integrum poterunt. Exsistent ex illicito, tamquam Ixionis, complexu Centauri forte quidam mirationem fa-

cientes, vulgique plausum moventes, sed vulgo relinquendi: ipsius non exsistet naturae integritas. Haec autem cerni, haec unice vigere in utriusque operibus debet. Sic demum Eloquentia vere nos movebit: sic ipsum oratione prodet veri et magni sensum et veluti vocem, qua penitus nos flectere, ad omnia magna adducere possit. Hac voce contenta sit, nec alienam affectet. Suis ipsa viribus nitatur: sic magnifice exsurget, ad sublimia omnia tendet, summam habebit majestatis laudem. Haec laus non speranda est ex imitandi studio. Totam Poësi similem numquam se reddet, nec ejus alas assumere, nisi decurtatas, potest. Has vero ne assumat. Concutiet enim misere has alarum quasi reliquias, et magno sane strepitu, volabit vero numquam.

Verum enim in tantâ utriusque artis dissimilitudine inest tamen quaedam similitudinis species.

cies. In omnibus fere Eloquentiae operibus, ad veram et nativam rationem confectis, reperiemus subinde ejusmodi loca, quae Poëticae facultatis vim et inventionem referant, ac metro ligata, Poësin haud dedeceant. Affundit nobis oratio suavitates ejusmodi, ut quasi per flores spatiari et ipsis Gratiis interesse videamur. Prodeunt subinde metaphorae, assimilationes, comparationes, sponte quidem et quasi casu ac fortuito, sed prodeunt, atque ita sublimes, ita illustres, ut ipsum nobis Poëseos splendorem referant. Et vero quibus Poësis figuris utitur, easdem fere omnes adhibet Eloquentia. Sed ne hac similitudinis specie decipiamur. In his usurpandis figuris suam utraeque vim et naturam servant: usurpant enim eas suo utraeque et plane diverso proposito, Poësis, ut excitet, Eloquentia, ut doceat: illa, ut animum nobis totum, sive ad delectationem exhilaret,

ſive ad ſtudiorum fervorem inflammet: haec, ut rationem animi impulſu juvet, atque ad veri judicium adducat.

Jam vero hoc maxime est utriusque artis diſcrimen, quod non ſatis attendit Recentior aetas. Illam Poëſeos virtutem ad animum unice vel mulcendum vel perſtringendum haud alienam exiſtimavit ab Eloquentiae dignitate. Ita ſuam peperit Eloquentiam, ornatiorem ſane quam formoſiorem, ſed ſuum tamen et nomen et decus tuentem. Scilicet qui mediâ aetate per magnam Europae partem exſtiterat ingeniorum fervor, nullas non artes trahens ad Poëſeos ſublimitatem, hic non ita ſtatim deferbuit, ſed in recentiora perpetuo tempora vim habuit. Unde horum temporum Eloquentia poëtici non nihil ſplendoris ſuscepit, conformata caeteroquin ad artis perfectionem.

Ergo, quod per univerſam noſtram comparatio-

tionem conſtanter tenuimus, admiremur in Antiquâ Eloquentia naturae integritatem, vigorem, majeſtatem, in Recentiore vero ornatum, artisque efficaciam, non pariter quidem, admiremur tamen.

Satis diximus de utriusque Eloquentiae indole, formâ et virtutibus primariis. Sed, quo plenius etiam de nullis non utriusque dotibus exiſtimemus, non nihil etiam obſervemus. In artibus illis, quae initio inter Graecos cultae ſunt, in primis cenſenda est Muſica. Haec quantam vim in eorum Poëſin habuerit, nemo non intelligit. Utraeque enim artes ita ſecum invicem conjunctae erant, ut alteram ab alterâ ſejungere ineptum videretur. Sed eadem non minorem vim habuit in ipſam Graecorum linguam. Ab eâ enim repetenda illa linguae ſuavitas et quaſi harmonia, quae non minus in ſingulis vocibus, quam in univerſis

ſententiis et totius orationis curſu obſervatur. Hac dote vel nos etiam ita capere et tenere haec lingua ſolet, ut e proſâ etiam oratione muſicum percipere concentum videamur. Quodſi nos ſic advertit, juſtae pronunciationis ignaros, quid tandem efficere in ipſos Graecos debuit? Romani nec linguam habuerunt, nec pronunciationem uſurparunt, hac Muſicae dote, Graecae comparabilem. Tamen, ſi publice pro roſtris dicebant, ita variare vocem, ita eam per varios ſonos vel attolere vel remittere ſolebant, ut, qui hanc vocem modulatione regeret, tibicinem adhiberent. Hinc exiſtimemus de Graecorum pronunciatione. Sane hac Muſicae ope audientem multitudinem eum in modum capere, tenere, abripere debuerunt, ut ipſam veluti incantando delenirent.

Hac dote caret plane Recentior Eloquentia, et dici vix poteſt, quanto ſit Antiquâ hoc nomi-

mi-

mine inferior. Quamquam id vulgo non aestimatur. Aegre enim mente complectimur, quod sensibus non percepimus: et facile sic negligimus, quae nostris ipsi, vel oculis non vidimus, vel auribus non accepimus. Quodsi quis velit de antiquitate existimare, in eam se totum insinuare debet, ut ipsis Veteribus interesse, ipsos adspicere, ipsos audire sibi videatur. Is demum perceperit, quae fuerit et qualis in totam antiquitatem Musicae vis, idemque tenebit, quantam hinc persuadendi vim Eloquentia antiqua susceperit.

Jam tandem, Auditores, ad judicium accedamus. Antiquam Eloquentiam cognovimus integrum esse incorruptumque naturae foetum, naturali gratia, dignitate, gravitate enitentem, atque, ipsâ movente naturâ, ad summam magnifice majestatem exsurgentem. Recentiorem vidimus ad similem se, et majorem subinde

ſpeciem erigere, ſed minori majeſtate. Et utri jam, Auditores, palmam tribuemus? Non dubitandum profecto. Suam arti laudem cedamus, ſed naturam praeferamus. Victrix pronuncietur Antiqua Eloquentia! Haec enim videlicet, quamvis nec cultum, nec ornatum, nec omnino commendationem curans,

vera inceſſu patuit Dea.

Grave profecto negotium peragere ſuſtinuimus, Auditores, qui res tantas ac tam amplas ad comparationem et judicium adduxerimus. Verum enim non magnopere verendum, ne temere et leviter judicaverimus. Omnem certe in cauſſâ cognoscendâ diligentiam adhibuimus. Non unum aliquem primarium, ſive ex Antiquis Oratoribus, ſive ex Recentioribus conſideravimus. Horum ſane ſingulorum virtus ad tantam acceſſiſſe, quantam ſignificavimus,

prae-

praeſtantiam non videtur. At vero, ut aliquando de cauſsâ conſtaret, ipſam examinavimus univerſae Antiquae Eloquentiae et univerſae item Recentioris laudem. Sic ſponte nobis utriusque imago occurrit. Et vero cavendum duximus ab iſto quorumdam hominum errore, qui ex Oratoribus unice, ſic propriè vocatis, Eloquentiam cenſent. Sunt hi profecto in primis ſpectandi, ſed non ita, ut hiſtorici, philoſophi et aliorum generum ſcriptores negligantur. Per hos enim omnes, quamvis lenior, ipſa tamen artis vis diffuſa est. Ex hoc errore informata est Eloquentia, quaſi unice in populi concione verſata, numquam a tantâ gravitate remittens, numquam ad leniorem rationem, ad res geſtas enarrandas, quaeſtiones difficiliores explicandas deſcendens. Unde fingi coepit vehementior quam lenior, magis ad ambitionis ardorem concitata, quam ad

ſua-

ſuadendi amabilitatem remiſſa, et tantum non referens Junonis ſpeciem intonantis illud:

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

Atqui deſcendit, apud Veteres quidem, ad omnis omnino generis deſcriptiones, narrationes, quin imo ad familiares confabulationes. Ad has igitur etiam nos convertimus, et hinc demum cognovimus Antiquae illius Eloquentiae lenitatem. Ita in ſummâ iſtâ auctoritate miram quamdam ſuavitatem, in tantâ illâ majeſtate parem fere amabilitatem deprehendimus. Deprehendimus, eandem illam Junonem a lenitate non abhorrere, ſuavius ſubinde loqui, amorum interdum zonam induere, ac nil non ſic et flectere et ſibi conciliare. Et ſane, Auditores, ut ab omni omnino parte et penitus quaeſtionem cognoſceremus, ipſam utriusque Eloquentiae originem, omnes utriusque opportunitates

con-

consideravimus. Spectastis mecum antiqui aevi mores, simplicitatem, candorem. Spectastis item vetustarum civitatum conditionem, summas illarum discordias, seditiones, tempestates, continuam rerum fluctuationem. Attendistis affectus, appetitus, cupiditates, omnino studia, quae ex tantâ rerum agitatione exsistere debuerunt. Et quidni nunc, his omnibus consideratis opportunitatibus, quidni concedamus, Auditores, e studiorum illorum, tamquam fluctuum, agitatione, concitatione, aestu, fervore et quasi spumâ,' tamquam alteram Venerem, sponte exstitisse Eloquentiam, eâ certe exstitisse amabilitate simul et majestate, qua majorem fingere nequeamus?

Quodsi huic Veterum Eloquentiae suam non opponere possunt Recentiores, hos tamen ne contemnamus. Forte utrisque, quamvis dissimilia, tamen paria fuerunt studia, ut in quali-

licumque dissimilitudine par effecerint. Atque sic quidem ultro redimus, unde ab initio profecti sumus, ad Recentiorum cum Antiquis comparationem. Ad eam nunc porro instituendam, certe leviter adumbrandam, ex hac de Eloquentiâ disquisitione paratiores aptioresque accedemus. Progrediamur igitur eo, et propositum sic nostrum totum expleamus.

Est illa sane permagna Recentiorum laus, quod multas artes, neglectas antea aut perverse tractatas, justâ ratione coluerint atque ad summam utilitatem produxerint. Physicam sane, Chemiam, similes summae indagationis artes minus apte attigerant Veteres. Hi enim, in caussis rerum indagandis, fingere fere, quam quaerere, ingenium exercere, quam diligentiam adhibere maluerunt. Unde graves nasci errores debuerunt, quibus artium illarum fructus fere totus interciperetur. At enim

ve-

vero in eosdem Veteres ne gravius invehamur, prohibent artes illae et literae, quas ſoli illi ad verum ingenii, humanitatis, urbanitatis fructum coluerunt. Suâ ipſi naturâ toti ad Muſicae ſtudia conformati, ad hujus ſuavitatem orationem informarunt, ad hujus harmoniam Poëſin exegerunt, ad hujus omnino vim et rationem artes elegantiores univerſas tractarunt. Ita in omnia artis opera eum modum, eum ordinem, eum habitum induxerunt, qui nil habebat quod offenderet, nil quod diſpliceret, nil quod in totâ conformatione deſideraretur. Unde exſtiterunt Statuariae illa et Architecturae opera, ipſum fere Muſicae concentum referentia, ad parem certe harmoniae perfectionem confecta. Μουσικοὶ enim ipſi et Muſicam continuo perfectionem quaſi intuentes, nil omnino tolerare ἄμουσον poterant; ſed pulcri illam perfectique ideam integram et plene debebant ex-

pri-

primere. Et eandem in omnibus eorum monumentis etiam nunc inpressam et vigentem videmus. Viget illa ubivis sublimitatis vis, quae extemplo nos commovet, corripit, ad omnia praeclara aufert, ad perfectas pulcritudinis imagines attollit. Nec viget ea tantum per artium monumenta, sed per scripta eorum omnia, per Poësin totam, per ipsam Philosophiam. Haec nobis hominem describens eam prodit naturae humanae effigiem, qua nulla esse magnificentior, nulla μουσικωτέρα potest. Assimilantur lyrae chordis mentis animique facultates primariae: monstratur singularum efficacia, virtus, et quasi tensio: significatur universarum inter se ratio et in se invicem vis. Fingis tibi continuo mirabilem concentum, quovis alio concentu superiorem, qui ex his quasi chordis exsistere debeat. Percipis hujus concentus vim omnem et sublimitatem. Ad tantam

tu

tu ipſe praeſtantiam, ad tantam praeſtantiae commendationem, ad tantam omnino naturae perfectionem et harmoniam adſpiras, omni ſtudio tendis, ipſe jam eam animo ſentis, jam oratione prodis, jam propoſitis exſeris, effers te ipſe ſupra humana atque abjecta omnia, haec tamquam abſurda et abſona averſatus, unice appetens pulcra quaeque et conſona, unice meditatus naturae ipſe tuae ad ſummam praeſtantiam perfectamque harmoniam conformationem. Neque per morum unice disciplinam diffuſa est haecce Muſicae vis: per totam dominatur philoſophiam et partes ejus omnes exhilarat. Sive Politicam reſpicimus, ea laudatur perfecta civitas, ubi ad communem ſalutem omnes cives apti ſint, omnia conſilia ſpectent, omnes cupiditates dirigantur, omnia ſtudia, omnes affectus conſpirent, e qua veluti contentione ea exſiſtat harmonia, quam

unice servare legislator debeat. Sive Physicam respicimus et Astronomiam, eadem in his etiam et Musicae vis et harmonia lucet. Imo vero quae a nobis Musica vocatur, rudis est imitatio sublimis illius et perfectae harmoniae, quae in mediâ rerum universitate ex justâ rerum universarum ratione, ex discordi siderum concordiâ exsistit, atque una maxime Deorum et animos mulcet et felicitatem auget. Ita Veteres ad Musicam nati, ipsâ Musicae vi instigati et quasi afflati, hanc vim perpetuo spirarunt, quoquoversus diffuderunt, tam in artium opera, quam in disciplinas fere omnes, nil non ad elegantiam, ad sublimitatem, ad concinnitatem exhilarantes, nil non ad pulcri illam perfectique ideam informantes, ipsis etiam erroribus gratiam quandam plane concinnam conciliantes. Ita ipsa apud eos natura Musicae commendatione exhilarata prodiit, suo omnia

nia spiritu imbuit, suo omnia odore persudit, omnia ad Musicae elegantiam laetificavit, atque artibus universis humanitatisque disciplinis et Musicae colorem et suam ipsa vim ac veluti vitam indidit.

Quodsi ab hoc Vetustatis spectaculo ad Recentius nos aevum convertamus, parem naturae vigorem, par artium lumen, parem rerum omnium integritatem ac sinceritatem non deprehendemus. Neque tamen spectare nolemus. Uti illic ingenium rationem regebat, atque invitam etiam ad inventa sua probanda cogebat, ita hîc ratio ingenium gubernare, a fingendi temeritate avertere, ad judicii severitatem adducere coepit. Species rerum, quamvis venustae, quamvis se habitu et colore commendantes, neglectae sunt et contemtae: ipsae res, ipsae rerum virtutes indagari coeperunt. Ita omnes evanuerunt specierum gratiae, omnis

 periit

periit fictionum flos; sed mansit veritas. Hujus studio et amore nil non susceptum, nulla non industria adhibita. Neque in disciplinis tantum subtilioribus haec elaboravit industria: traduci coepit ad universa fere literarum, imo artium genera. Progreditur per haec omnia ratio, ubivis adhibens et inquirendi studium, et perscrutandi diligentiam, et dijudicandi subtilitatem. Nullius non artis natura indagatur, propositum attenditur, virtutes aestimantur, leges et regulae praescribuntur. In nulla non arte pulcri, venusti, decori, magni, sublimis, principium quaeritur. Et haec omnia eo maxime spectant, ut accuratius existimetur de ipso artium fonte, ingenio humano. Hoc acerrimis studiis exquiritur, neque tantum per artium indicia, sed maxime etiam per historiae vestigia. Et quid historiam, quid artes loquimur? Ipsae linguae, pulcerrimi illi ingenii hu-

humani foetus, eâdem diligentiâ examinantur; ad idem propofitum adhibentur: adhibentur tamquam fpecula, in quibus mentis humanae primas notiones, nativas opiniones, ipfum opinionum progresfum, curfum, variam viam, diverfitatem omnem dilucide ac diftincte adfpiciamus. Sic omnia tamquam inftrumenta ufurpantur, quibus ad juftam certamque et rerum univerfarum et hominis in primis notitiam via aperiatur. Neque fruftra fane tantopere laboratur. Hanc ipfam jam ingresfo quafi veritatis viam, novâ tibi luce omnia apparebunt, et, misfis Antiquorum fictionibus, de nullis non rebus diligentius exiftimabis. Id nobis praeftitit et praeftat etiam nunc Recentiorum induftria. Nempe quas olim ab Arabibus acceperant artes Mathematicas, has deinceps ad ingenii non tantum exercitium, fed maxime ad cognitionis fructum tractantes, ad ipfas res,

ad ipsam naturam explorandam adhibuerunt. Unde et nata sunt praeclarissima inventa, et exstitit simul illa indagandi assiduitas, judicandi severitas, rationis omnino exercitatio et perfectio, quae una maxime et profuit nobis et deinceps profutura videtur. Et sic intelligitur, quantum absit, ut ingenio adhuc indulgentes rationem coërceamus. Disrupit ratio vincula ista omnia, in omnes partes progressa est, res omnes accuratius observavit, ubivis veritatem investigavit, atque ita, suam sibi et libertatem et auctoritatem vindicans, ad se ipsum cognoscendum coëgit ingenium.

Sive igitur Antiquum, sive Recentius aevum consideremus, utrimque profecto, quamvis diversum, praeclarum habemus spectaculum. Illic viget ingenium, ac vigoris abundantiâ laete luxuriatur, quoquoversus emittitur, artes parit elegantiae plenas, ipsam referentes

luxu-

luxuriantis naturae alacritatem. Sed idem, suis finibus non contentum, pari alacritate et vero petulantiâ in feveriores disciplinas exsultat, atque ita in his haud pauca disturbat. Hîc ratio dominatur, veritatis studio omnia explorans, et summâ sane prudentiâ. Lente ac sensim, sed constanter procedit, atque constantiae efficacitate ad veri tandem cognitionem pervenit. Eadem vero in artes etiam venustiores auctoritatem exercens, nativam iis hilaritatem adimit, ad fictam eas simulandam cogit. Ita Antiquum respicientes aevum, omnia videmus quasi verno tempore expullulare, efflorescere, reviviscentis naturae vigorem ac sanitatem spirare. Recentiorem vero aetatem considerantes magis deprehendimus culturae studium. Et videmus sane doctrinas quasdam, illinc traductas, ad praeclaram laudem et utilitatem increscere. Videmus earum nonnullas,

tamquam pingues arbores, ramos ſuos divitiis graves ſuper totum fere terrarum orbem extendere, uberrimosque fructus generi humano ubivis veluti porrigere. Tantos nobis fructus tulit ingenii humani maturitas. Sed huic maturitati (fatendum enim) nativus ille vigor cedere debuit.

Jam vero ne diutius moremur controverſias illas de Veterum ac Recentiorum praeſtantiâ. Nimirum quaecumque artes ab illo unice ingenii vigore commendationem habent, ut Poëſis, Eloquentia, caeterae, elegantiores nominatae, has apud Veteres ſolos vere vigentes reperimus: quaecumque vero niſi ſtudio, induſtriâ, culturâ ad firmitatem et verum fructum adduci non posſunt, ut Chemia, Phyſica, Medicina, Astronomia, Matheſis, quae applicata vocatur, aliae, has a Recentioribus demum ad veram praeſtantiam utilitatemque excultas cernimus.

Et

Et nemo non intelligit, quare nec in ſubtilioribus artibus Veteres, nec in elegantioribus Recentiores excelluerint. Veteres elegantiam illam ſuam, qua unice delectabantur, nullis non negotiis affundentes, ſeverioribus etiam disciplinis affuderunt. Hae igitur ſplendere quodammodo, ſed alieno plane et falſo colore debuerunt. Sic Astronomia et aliae artes cultum quemdam et ornatum a Muſicâ ſuſceperunt, ſed ejusmodi illum, ut in ſummâ commendatione adscititius appareret ac repudiandus videretur. Recentiores autem Mathematicam diligentiam, qua has ipſas ſubtiliores doctrinas ad ſummam hominum utilitatem coluerant, in artes etiam venustiores transtulerunt. Ita hae minus ad pulcri venustique ſenſum, quam ad rationis judicium tractari coeperunt: minus nativâ ſe gratiâ commendare potuerunt, magis ordinis limaeque ſtudium referre debuerunt.

Quodsi sunt, qui, tamquam in bivio stantes, dubitent adhuc, Veteresne adire, an Recentiores, illosne sequi, an hos, praestet, hi cessent dubitare. Neutros sequamur solos; sed, utramque vicissim viam ingressi, utrosque pariter penitus cognoscamus. Haec nobis notitia veram doctrinam, veram doctrinae utilitatem pariet. Sic enim exempla habebimus, ad quae artes singulas rite tractemus. Sed hoc mittamus. Sunt alia longe majora. Scilicet artes ac disciplinae, ut partim ab Antiquis ingenii felicitate, partim a Recentioribus rationis diligentiâ ad justam rationem cultae fuerunt, ita nobis universae summâ praestantiâ ante oculos apparebunt. Cernemus eas, non pari universas, sed suo singulas colore distinctas: neque aegre feremus, si in aliis majorem, in aliis minorem, in quibusdam nullum splendorem animadvertamus. Admira-

bi-

bimur vero in magnifico et amplissimo spectaculo justum rerum omnium modum. Nec sane immerito ad summam admirationem pervenerimus. Spectaverimus enim in eodem hocce artium universarum spectaculo ipsum mentis humanae lumen, unde tantus splendor, per diversos colores, sed juste distributos, artibus universis affusus fuerit. Spectaverimus tamquam in expressa imagine mentis humanae praestantiam, ad quam per tot saecula ad nostra usque tempora accesserit. Et sic quidem ad nostram ipsi utilitatem insigniter spectando profecerimus. Cognoverimus enim, quid illi adhuc praestantiae desit, quid summae semper perfectioni obfuerit. Quo cognito, facilius dimoveri haec impedimenta poterunt, ut ultro sic mens humana ad suam se perfectionem explicet.

Ad hoc autem et peragendum et obtinendum

ma-

magis Recentiorum methodus, quam Antiquorum usurpari debebit. Non enim in tanto negotio fingendi temeritate, sed examinandi assiduitate utendum.

Atque eo quidem nomine mirabiliter se commendant Recentiores. Quid enim magis, quid illustrius prodesse generi humano possit? Quare non mirandum, esse etiam nunc, quod initio diximus, qui Antiquas literas negligendas, certe ad interiorem rerum indagationem inutiles existiment. Et habent hi, quo suam sententiam defendant. Verum enim ne Antiquos ita penitus repudiemus. Fatendum omnino, in graves eos errores incidisse, sed fatendum etiam, ipsis eos erroribus ad multa et praeclara inventa accessisse. Accesserunt eo ingenii illâ velocitate, sagacitate et naturali illo impetu, quo in omnes partes proruentes nil non appetiverunt, nil non continuo apprehenderunt, nil

non

non ſpecie commendatum, tamquam verum, asſumſerunt. Ita cum falſis non nullis multa etiam vera asſecuti ſunt. Nempe concitabatur hic ingenii impetus intimo illo veri ſenſu, qui, velut inſtinctus quidam, ingenium animat, rationem antevertit, et verum vix adſpectum ilico dijudicat. Hoc eos non latet qui Graecorum linguam paullo interius inquiſiverunt. Haec, tamquam ipſorum effigies, impetum illum et ſenſum totâ conformatione exprimit, et, quae impetu ſenſuque illo perceperunt, peculiaribus vocibus reddit. Quo magis et totius antiquitatis et hujus item linguae ſtudium ad veritatis indagationem fructuoſisſimum habendum est. Et omnino eodem hoc ſtudio ad parem vim noſtrum ipſi ingenium, quoad ejus fieri poteſt, exercere debemus. Non enim exiſtimemus, ſolâ nos ratione ad tanta tamque praeclara inventa pervenire posſe. Gubernet haec mentem

no-

nostram et dirigat ad cujuscunque momenti disquisitionem; sed accedat item ingenii afflatus: sic unice ipsa mens movebitur. Nec vero intimum illum veri sensum negligamus. Plus huic sensui genus humanum debet, quam vulgo existimatur. Hoc imbuti poëtae ad tantam pervenerunt inveniendi solertiam, ut divinitus inspirari, futura vaticinari crederentur. Et nemo facile, erectiore indole natus, non sensit aliquando poëtici illius enthusiasmi vim, quae una est ad verum reperiendum efficacissima. Haec vitae tempora, quamvis fere brevia, totius sunt vitae instar. Illis enim quidquid antea obscurum, reconditum, impeditum videbatur, ipsâ apparet luce clarius: illis amplissima etiam rerum argumenta uno eodemque obtutu percipiuntur simul et dijudicantur: illis tandem quae menti obversantur, non extrinsecus suscepta, sed ingenio parta, ipsâ

in-

ingenii vi emissa videntur: recentia sunt plane et nova omnia, omne certe habent novitatis lumen. Et hoc enthusiasmo partae sunt pleraeque notiones, quae verae Poëseos propriae, luce suâ rationis iter illustrarunt. Hanc nos lucem petamus, nec diligentiâ illâ et subtilitate nimium nitamur. Magnam haec vim habent ad errores evitandos, et justam semper viam tenendam: ad progrediendum vero vix ullam habent.

Itaque e nostro aevo in Antiquum nos continuo transferamus, insinuantes nos totos in fingendi istam et inveniendi judicandique vim ac rationem. Imbuamur in primis linguâ illâ Graecâ, quam omnes laudant, omnes ad inventa sua explicanda adhibent, omnes unice perfectam existimant, pauci vero penitus percipiunt. Mittamus suavitatem, ubertatem, Musicam vim, dotes caeteras, quae vulgo solae celebrantur.

At-

Attendamus maxime vim iſtam ſingularem, ex ipſo illo enthuſiasmo ortam, quae in legendo nos continuò advertere, miris ſenſibus imbuere, totos nos erigere, totos nos ita auferre, ita ad novam cogitandi rationem adducere ſolet, ut quae animo concepimus, unâ hacce linguâ, et nullâ prorſus aliâ, exprimere posſimus. Hac linguae vi imbuti, atque poëtici cujusque ingenii totiusque antiquitatis virtutem percipientes, ſenſim ipſi ad eandem rationem conformabimur, eodem ardore incaleſcemus, eodem ſpiritu animabimur, eodem plane enthuſiasmi fervore ad veri ſenſum et vaticinationem inflammabimur. Ita aliquando quidquid ingenii, quidquid indolis, quidquid intimae efficacitatis naturâ habemus, hoc omne Antiquitatis quaſi communicatione ſuſcitabitur, prolicietur, expandetur, impraegnabitur, et praeclarisſima inventa, tam probabilitate quam novi-

tate

tate insignia, tamquam foetus, pariet. Tum vero cedat deinceps ingenium rationi, Poësis Philosophiae, inveniendi solertia examinandi diligentiae. Examinet ratio hos ingenii quasi foetus, spurios et falsos abjiciat, germanos et veros servet, et hos solos qua valet prudentia ad summam generis humani utilitatem informet. Sic demum nostro ipsi usu experiemur, quam insigniter prosit ad nova invenienda antiquitatis studium: firme tenentes, eo utiliorem futuram Recentiorum methodum, quo magis cum Veterum ratione conjungatur.

Atque admirabile est, ut nos ipsos ita simul exculturi simus et quasi amplificaturi. Exseremus quippe efficacitatem nostram totam, non minus ingenio fruemur, quam ratione utemur, atque, utramque facultatem ad nostram ipsi perfectionem exercentes, summo ipsi lucebimus mentis humanae splendore.

Ad tantas utilitates, tam publicas illas et communes, quam noſtras etiam, fructuoſum eſſe potest Antiquarum ſtudium literarum. Ne tamen has percipientes caeteras relinquamus. Percipiamus item eas, quae ad humanitatem referuntur. Et hae quidem eo minus negligendae ſunt, quo magis aetate noſtrâ ingenii elegantiae obesſe coepit rationis diligentia. Verſati enim in intimis naturae recesſibus, atque abdita quaeque et obſcura perquirentes, ſenſim ſenſimque homines a venuſtatis ſtudio alienantur. Atqui non eâ conditione homines nati ſumus, ut in iſtâ ſemper obſcuritate moremur. Noſtrâ ipſi naturâ ad artes elegantiores et trahimur et convertimur. Ne vero naturae reſiſtamus. Prodeamus ſubinde ex tenebris his noſtris ad Antiquarum artium lucem, ut magis magisque ſuscipiamus humanitatis ac venuſtatis colorem, eundemque in nullis non negotiis,

in

in ipsa naturae indagatione continuo referamus.

Caeterum, Auditores, videmus, qua methodo severiores artes a media inde aetate tractatae sint et tractentur etiam nunc. Intelligimus, quam vim haec methodus in sequentia tempora habitura sit. Sperare hinc licet praeclara omnia. Anxii tamen esse possimus de futura literarum conditione. Summae illarum, quas diximus, utilitates vulgo non magnopere cognoscuntur. Quotus enim quisque in Antiquorum se ingenia ita totum insinuat? Sic pauci forte relinquentur, qui juste Antiquitatem colant: caeteros abduxerit Recentioris methodi commendatio. Verum tamen, Auditores, ne de literis illis desperemus. Numquam profecto penitus negligentur. Habent quo suum ipsae honorem tueantur. Habent quo omnis aevi homines alliciant, ad sui admirationem studiumque

trahant. Nempe, quantâlibet tandem conftantiâ diligentiae illam obfervationisque viam fequamur ad verum indagandum; tamen in jucunda fubinde diverticula digredi geftiemus. Geftiemus interdum noftro ipfi animo, noftro ipfi fenfu perfrui, explere penitus infita illa naturae ftudia, haurire omnino pectore animoque toto omnem naturae fuavitatem, integritatem, finceritatem. Ita continuo in Antiquitatem ducemur. Hîc nosmet ipfi fentiemus et indolis ipfi noftrae alacritatem. Rationem non curabimus, nec rationis auctoritatem: ingenio malemus uti et magis etiam fenfu. Hunc fuaviter mulcebimus literarum illâ et Poëfeos dulcedine, quam cupide degustantes fatiari non poterimus, fed percipere perpetuo cupiemus. Sic relaxare ftudebimus et relaxabimus etiam diligentiae illud et veritatis ftudium. Figmentis denuo fuaviter pascemur: fuaviter

fpa-

ſpatiabimur per Antiquae Poëſeos elegantias, venustates, flores. Ipſae illae Antiquae fabulae miram in nos habebunt voluptatis vim, quippe nativam totae pulcritudinem referentes. Haec nobis elegantiarum quaſi vireta post tantos diligentiae, judicii, rationisque labores ſemper perfugium manebunt. Illuc continuo reſpiciemus, illuc continuo tendere gestiemus. Alliciet nos Philoſophia illa, venustatum plena, omnibus omnium artium dotibus ornata, ab ipſis fere Muſis et Gratiis ad ſummam commendationem exhilarata, philoſophia tamen, atque ſapientiae magistra. Et, qualemcumque hinc demum ſive delectationem ſive utilitatem percepturi ſimus, perpetuo nos ſane tenebunt aeterna illa germanae venustatis, gravitatis, majeſtatis monumenta, Eloquentiae Antiquae opera. Caeterae artes ubivis nasci nec ſine laude florere posſunt: ut, niſi ipſum habeant Anti-

quitatis vigorem, suo se tamen colore commendent. Eloquentiam nolemus, nisi ex Antiquis ortam civitatibus. Illic demum, tamquam e suâ terrâ, suum succum, suam efficacitatem contraxit: illic omnia conspirarunt ad eam exhilarandam et quasi laetificandam. Media surgebat inter florentissimas artes, ipsum naturae veluti odorem spirantes. Sponte imbuebatur mirificâ illâ Musicae vi, qũa ad animos hominum mulcendos, componendos, flectendos nulla esse efficacior potest. Et multum tamen aberat, ut ab ulla arte sive juvaretur sive sustentaretur. Imo, suum illic tandem spatium nacta, in quo se libere commoveret, ita vim suam totam exseruit, ita ad suam se formam, ad tantam se formae magnificentiam, explicuit, ut caeteras artes, ipsam etiam Poësin, ad majestatis imitationem adduceret. Sic tamquam artium Regina in civitatibus illis coli coepit, ip-

ipſas civitates ſuâ totas auctoritate regens. Ad parem gloriam et auctoritatem numquam forte deinceps perveniet Eloquentia, quippe pares haud facile opportunitates nactura. Et anxii ſimus, Auditores, de futurâ literarum conditione? Vel ſola haec Eloquentia per ſaeculorum decurſum earum nomen perpetuo tuebitur. Hujus enim monumenta numquam neglecta jacebunt; ſed, quamvis asſidue, quamvis conſtanter noſtram perſequamur veri indagandi methodum; tamen non poterimus non reſpicere ſubinde monumenta illa, nec contuebimur ea ſane, quin ipſam Antiquitatem admiremur penitus et ferme veneremur.

Expoſui, Auditores, de Antiquarum ſtudio literarum, in primis de Antiquâ et Recentiore Eloquentiâ ſententiam meam. Hanc Veſtro totam judicio relinquo, lubens eam prorſus re-

pudiaturus, si quando mihi alia probabilior appareat. Illud tamen probasse mihi videor, errare eos, qui nil nisi inutile atque minutum duci posse ex Antiquis literis existimant. Nec dubito, quin summam earum non tantum suavitatem, sed etiam utilitatem mecum agnoscatis. Quare, quod prudenter instituerunt majores nostri, ut a tenerâ quisque aetate ad literas illas duceretur, hoc nos etiam servandum existimemus: praesertim, cum earum disciplina ad verum eruditionis fructum, ad communem omnium utilitatem, ad vitae omnino usum magis magisque referri coeperit. Et, quandoquidem hanc ipsam literarum disciplinam mihi jam commissam video, ad Vos converto orationem meam, Academiae hujus Curatores, Viri amplissimi, tanti erga me meriti auctores.

Ego, Viri munificentissimi, de muneris hujus

jus praestantiâ atque utilitate non magnopere dicam. Proxime est cum ipsa Antiquae Eloquentiae praestantiâ conjunctum, quam adumbrare quodammodo et pro facultate exprimere studui. Satis igitur dictum, ut percipiatis, quanto studio, quanto ardore hanc egomet provinciam et nunc susceperim et deinceps administrare conaturus sim. Nil mihi videri praeclarius poterit, quam generosae indolis juvenes per laetos Antiquitatis campos ducere, atque ad Eloquentiae lumen convertere. Sic enim simul et Historiarum auctoritatem, et Literarum elegantiam, et vero utrarumque rite conjunctarum vim, efficaciam, utilitatem continuo perceperint. Quae omnia maxime valebunt ad ipsorum cum ingenium acuendum, tum animum excolendum, tum pulcri venustique sensum poliendum et erudiendum. Tanta me spes ad nii non suscipiendum et peragendum incitabit:

eademque ſic intendet facultates meas omnes, ut, quidquid etiamnunc doctrinae deest (quod lubens confiteor permultum eſſe) hoc igitur, quoad ejus fieri posſit, induſtriâ aliquando expleatur. Sic illud olim efficere conabor, ne Vos honoris, quo me ornaſtis, nec Praeceptores meos ſtudii, quod in me poſuerunt, poenitere posſit. Horum numquam virorum in me beneficia animo mihi excident. Semper Nodelli, qui me primum erudivit atque ad ſumma quaeque appetenda impulit: ſemper Wyttenbachii, qui me currentem concitavit, in juſtam ſtudiorum viam adduxit, conſtanti literarum amore imbuit, univerſam Antiquitatis rationem docuit: ſemper Crasſii, cui elegantioris Jurisprudentiae guſtum: ſemper Swindenii, cui Mathematicae ſublimitatis ſenſum debeo: ſemper horum Doctorum in me merita, ad vitae mihi fructum unice efficacisſima, eâ, qua par

est,

est, pietate celebraturus sum. Neque Boschii item umquam immemor ero, cujus in bonas artes ardor ad acerrimum earum studium excitavit me continuo et inflammavit. Eademque praestantissimorum beneficia virorum ne frustra in me collata videantur, sed ad aliorum etiam utilitatem fructuosa sint, summâ semper industriâ connitar. Cui proposito aliquando explendo Vos jam, Viri humanissimi, opportunitatem mihi aptissimam dedistis. Quo magis existimare potestis, quam grato equidem animo hoc à Vobis munus acceperim. Caeterum curantibus Vobis, Viri amplissimi, cum Urbis hujus tum Academiae negotia, ita prospere et feliciter omnia cedant, ut prudentiae diligentiaeque Vestrae maxima quaeque et praeclarissima debeantur.

Vos autem cum intueor, Professores quarumvis doctrinarum eruditissimi, Vester me ad-

spec-

ſpectus movet plane. Nullo ſane vitae meae tempore meam ipſe tenuitatem magis ſentire posſim, quam hoc ipſo die, quo ad Veſtrum collegium, tantâ illud et doctrinae luce illuſtre, et ſapientiae auctoritate grave, ad tale igitur tantumque collegium collega accedo. Profecto Viri eruditisſimi, niſi ſummae eruditioni prudentiaeque Veſtrae Veſtra par esſet erga me benevolentia, totum me conturbaret harum rerum cogitatio. Et niſi hanc benevolentiam in Te item, Saxi, vir gravisſime, agnoſcerem, prorſus animo deſponderem. Ego ne celebrem laudes tuas, cum tuus me pudor prohibet tum infantia mea. At, ſi conſidero, tanto me viro et collegam adjungi et adjutorem dari, quis animi mei esſe ſenſus debet? Sed totus acquieſco in indulgentia tua. Habebis me collegam, nec tamen hoc honore exſultantem, magis id ſtudentem, ut eo me dignum reddam.

Ha-

Habebis me adjutorem, et industrium sane, sed eundem simul discipulum tuum, quem haud frustra vel docueris vel monueris vel adhortatus fueris. Et dubitem, Vir gravissime, de voluntate erga me tua? Ego vero dubitare nolim. Malim profiteri, huic me voluntati pietate responsurum esse. Et sic quidem, senex reverende, et caeteri viri clarissimi, accedentem me ad collegium Vestrum tali accipiatis indulgentiâ, quali Vos ego observantiâ prosequor. Ita ex nostrâ collegii societate fructum capiamus cum ad Academiae emolumentum, tum ad vitae nostrae suavitatem uberrimum.

Jam tandem Vos compello, quotquot humanioribus artibus operam datis, juvenes suavissimi. Ego ad Vos, non ut doctor ad discipulos, neque ut eruditus ad minus doctos, gravi quadam oratione utar. Abhorret haec gravitas ab aetate meâ et vitae consuetudine: ab-

hor-

horret vero a futurâ nostrâ familiaritate. Sed, ut sodales sodalis, diutius sane in his studiis versatus, sed caeterum par, ita Vos ego et alloquar et monebo. Neque vero eo pertinebit oratio mea, ut Antiquas Vobis literas commendem. Vel fallor, commilitones, vel hac ipsâ disputatione jam satis eas commendavi. Proposui enim Vobis Antiquam Eloquentiam, vim ejus et formam adumbrans. Intellexistis, quanta sit nativae simplicitatis gratia, venustas, efficacia. Et haec Vobis simplicitas non placet? Atqui eadem per totas est Antiquas literas aequabiliter diffusa. Tali Vos commendatione invitat antiquitas: nec frustra Vos sane invitaverit. Accedetis ad eam per arduam subinde viam: sed, qualescumque tandem futurae sint viae difficultates, majores etiam erunt itineris suavitates. Dixi paullo ante de linguae Graecae praestantiâ, ubertate et musicâ virtute. Ati-

tigi etiam, et expresſi, ni fallor, hiſtoriarum vim ad literarum utilitatem. Vix credatis, amici, quam ſuave ſit harum rerum ſtudium. Parit continuo fructus ad delectationem uberrimos, nec minus ad animum reficiendum et recreandum efficaces. Et, quod ad istas attinet viae asperitates, ne hasce, quaeſo, nimium curetis. Me asſumatis itineris comitem. Ego, ſi quando difficultates exſiſtant, manum Vobis porrigam. Vos, ſi jucunda alicubi loca deprehendatis, monebitis me et mutuo delectabimur. Ego Vobis narrabo, quales nos et quantae ſuavitates maneant. Vos mihi perceptas jam ſuavitates in mentem ſenſumque revocabitis. Ita haud ingrato itinere ad amoenisſimos illos locos accedemns, quo, niſi durus et ferreus, nemo pervenit, quin continuo humanitate imbuatur: ubi, niſi vanus et inanis, nemo moratur, quin prudentiâ fiat ac ſapientiâ praeſtan-

ſtantior: unde, niſi hebes, nemo redit, quin ad quascumque tractandas et artes et disciplinas excultus veniat et praeparatus. Agite vero, commilitones, Antiquitatem petamus! Antiquas tractemus literas!

Atque ſic quidem, Auditores, (ut ad Vos denuo univerſos redeat oratio mea) ſic igitur, peractis hujus diei ſolemnibus, hoc unum mihi reſtat, ut Vestram mihi benevolentiam, et vero indulgentiam, implorem. Quam mihi ſane non e vulgari conſuetudine, ſed ex animi ſenſu rogandam duco. Scilicet indulgentiam non implorem, qui magno Segaario tantillus ipſe juvenis ſuccedam? Admirabilis plane erat viri ſummi doctrina, prudentia, ſapientia: admirabilior etiam tanta in tantis virtutibus modestia: quibus laudibus cum ſumma accederet animi magnitudo, probitas, integritas, dignus erat vir magnus, qui ab omnibus non colere-

tur

tur tantum, ſed ſimul etiam diligeretur. Tu ſane, Segaari, tuo ipſe exemplo monſtrasti, quanta ſit eruditionis gratia, ſi humanitate commendetur. Utinam hoc ego exemplum haud fruſtra imitari coner! Utinam, ſi tu quando ex beata beatorum ſede in hanc Academiam reſpicias, me haud indignum tanto munere agnoscas! Utinam hanc aliquando vim habeat inſtitutio mea, ut literarum ſtudium, non ſolum ad doctrinae copiam fructuoſum, ſed etiam ad morum elegantiam, ad disciplinarum incrementa, ad commune hominum emolumentum longe efficacisſimum habeatur!





